

cilio, et alias pluries, super periculosa deformatione status, venerabilis, fratris nostri, domini Boecii dei gracia, episcopi wexionensis, et ecclesie sue plurima tam scandalosa, quam grauia sint deducta, que dissimulare de cetero, indiscussa nec volumus nec valemus Ac propter hoc certos inquisitores, auditores, et iudices, ad wexionensem ecclesiam prefatam, Ita vt ibi sint, in die beati olai regis et martyris, mittere proponamus, Vobis. et vestrum cuilibet, districte et sub excommunicationis pena, quam in vos et vestrum quemlibet, in hiis scriptis, exnunc, prout extunc, et extunc prout exnunc ferimus nisi feceritis quod mandamus, precipimus et mandamus, quatinus vos magister nicholae ad ipsam ecclesiam Wexionensem, ac vos prepositi quilibet in sua prepositura, ad ecclesias sue prepositure, statim visis presentibus, personaliter accedentes, publicare, ac publice denunciare curetis, clero et populo, ciuitatis et dyocesis wexionensis, quod si qui ipsorum, circa reformationem status, episcopi et ecclesie predictorum, sua, quicquam putauerint interesse, in crastino beati olai prefati, cum continuacione dierum immediate sequencium, coram auditoribus, iudicibus et inquisitoribus antedictis, apud eandem wexionensem ecclesiam, studeant comparere, proposituri quicquid coram ipsis duxerint proponendum. cum intimacione, quod si tunc non venerint, super hiis decetero minime audientur,, litteras eciam presentes, completo mandato, vnus vestrum ad alterum, sine dilacione transmittat, easque, iudicibus et inquisitoribus eisdem, die beati olai suprascripta, in signum expleti mandati, in ciuitate wexionensi vestris sigillis, redite [o:reddite] sigillatas. Datum taelghis, die veneris, post barnabe apostoli, Anno, domini, M^o, CCC^o, XL^o primo. nostro sub secreto.

På fränsidan: Citacio super infamia Episcopi wexionensis per Archiepiscopum vpsalensem.

Sigillen: Remsor efter 6 sigill finnas qvar samt hål för en 7:de. Endast af N:o 2, 3, 6 återstå obetydliga fragmenter.

3575.

1341 d. 17 Juni.

MÅRTEN DUFVA af Bollerup säljer sina gods i Bollerup till Domprosten Holmger Petersson i Lund, med undantag af hufvudgården, som han sjelf bebor, samt qvitterar köpesumman. (Jfr N:o 3481).

Orig. på perg. i K. Danska Geheime Arch.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. Martinus dwa de bullathorp salutem in domino sempiternam Notum facio omnibus et singulis quod recognosco me honorabili viro et discreto domino holmgero pætersson lundensis ecclesie preposito omnia bona mea que habeo in bullathorp mobilia et imobilia cum agris pratis pascuis et omnibus ipsorum pertinenciis quibus-

cumque vendidisse scotasse et totaliter resignasse, curia principali in qua meem [ɔ:meam] facio residenciam cum molendinis et stagnis et omnibus aliis mobilibus et immobilibus agris pratis pascuis dicte curie specialiter adiacentibus dumtaxat exceptis. recognosco eciam me plenum precium pro bonis predictis ab eodem pro mea voluntate totaliter subleuasse. In cuius rei testimonium sigillum meum vna cum sigillo domini martini presbiteri de bullathorp presentibus est appensum Datum anno domini. Millesimo. CCC. XL^o primo die beati botulphi abbatis.

Sigillen: N:o 1 borta; N:o 2, Presten Martini (en välsignande hand öfver en kalk).

3576.

1341 d. 19 Juni.

PIK GLYSING bortbyter sina gods i Säfsjö till sin svåger Peter Folkeson, mot dennes hustrus gods i Risberga i Fifvelstad socken i Ostergötland.

L. Sparres saml. afskr. i Sv. Riks Arch. Sign. J. 6, f. 203.

Omnibus presens scriptum cernentibus, Pijk Glysing, salutem in domino sempiternam. Tenore presentis nouerint vniuersi, me nobili viro, Petro Folkason, genero meo dilecto, suisque veris heredibus, omnia et singula predia mea in Sæffsiø sita, videlicet terciam partem maioris curie ibidem, quam de nobili viro, Johanne Kætillsson, pro pleno [precio], et secundum legum exigenciam prius habui, pro bonis, et prediis dilecte consortis sue Haffridis in Risabærgom, parochia Viwalstadha, ostgocie sitis, ratione veri et rationalis prediorum cambii, inter nos facti, dimi[si]sse, et omni iure legaliter assignasse, perpetue possidenda, ablata mihi meisque heredibus omni facultate, predictum prediorum cambium, inter ipsum Petrum et me legaliter factum, molestandi, seu aliquo adinuencionis ingenio, in posterum reuocandi. In cuius rei euidentiam firmiorem, sigillum meum, vna cum sigillo fratris mei dilecti, Nicholai Glysing, presentibus est appensum. Scriptum Anno domini M. CCC. XL. primo. feria tertia proxima, ante festum beati Johannis Baptiste.

Sigillen, enligt ritningen: N:o 1, »S. Piik Gysling» (sic) (svin); N:o 2 borta.

3577.

1341 d. 19 Juni.

RIKOLF af Andvorskov, General-Kommendör i Danmark, Sverige och Norge, säljer Andvorskovs klostrets gods i Fjerrestad i Luggude härad till Kaniken och Skaffaren i Lund Peter Svensson, samt qvitterar köpesumman.

Orig. på perg. i Sv. Riks Arch.

Omnibus presens scriptum cernentibus frater Rykolphus de anduarthaskogh generalis commendator prioratus dacie suechie et norwegie salutem in